

## SECTIO VII. &amp; ULTIMA.

DE VNIVERSALIBVS  
REGVLIS IN CVRATIONE  
obſervandis.

I. In curandis morbis quæ axiomata  
& regulæ generales ſunt  
obſervandas?

**R**EGLÆ fere omnes, quæ in med-  
icationibus morborum obſervandæ  
ſunt, habentur in Aphorismis Hip-  
pocratis, qui dignissimi ſunt, à tironibus  
Medicinæ ad ungue ediscantur; Verum  
præter eas ſequentia axiomata ſemper ob-  
oculos ſunt habenda.

I. Contraria ſemper contrariis ſunt cu-  
randa, & ſimilia ſimilibus conſervanda,  
&c, ut Galen. inquit lib. 13. meth. med. cap. 6.  
Omnis intemperantia ſemper contraria  
requirit.

II. Quæcunque ſunt in corpore hu-  
mano præternaturam, debent removeri,  
quæ vero ſecundum naturam, conſervari.  
Galen. lib. 8. meth. cap. 9.

III. Natura est curatrix morborum:  
Medicus vero eſt minister naturæ. com. 5.  
in 6. Epid. cap. 1.

II

IV. AF-

V. Affectiones & dispositiones mā-  
x, magnas causas habent.

V. Causæ prius quam morbi semper  
debent præcidi ac removeti.

VI. Morbi semper prius sunt curandi  
quam symptomta, nisi talia sint sym-  
ptomata, quæ vires prosternant: Tum  
enim curationem ad se convertunt.

VII. Viribus imbecillis, lenis len-  
taque curatio est necessaria: extremis au-  
tem morbis extrema remedia sunt adhi-  
benda.

VIII. Bona constitutio partium, bo-  
narum, mala malarum est actionum cau-  
sa, atque illa sanitas, hæc morbus dici-  
tur.

IX. Supervacanea quæ à valentiori-  
bus partibus expelluntur, semper ad par-  
tes imbecilliores procumbunt. Galenus  
eom. Aph. 33. lib. 4.

X. Dolor & particulæ inflammatae  
calor, fluxionis sunt causæ. Quare tum  
purgandum est totum corpus, etiam si ca-  
reat vitiosis humoribus, Galen. lib. 13.  
cap. 5. meth. med.

XI. Medicamenta primum oblata, si  
paululum conferant, tametsi tardius cu-  
rent, ea sunt usurpanda, nec temere pro-  
tinus ad aliud transeundum: quæ au-  
tem noxia sunt, statim removenda. Aph.

52.

XII. Di-

METHOD. MEDEND.

XII. Digerentia medicamenta, redundantia humorum in toto corpore subest, si partibus affectis applicantur, implet potius quam vacuant. Iis itaque non nisi purgato corpore, aut parte illa, quæ excrementum ad locum affectum transmitit, utendum est. Gal. lib. 13. cap. ult. meth. medend.

XIII. Principibus partibus laborantibus nullum adferendum est remedium, quod immodice vel refrigereret, vel calefaciat, vel aliqua aliena qualitate sit imbutum, & semper ei aliquid est admiscendum, quod corroborandi facultatem habet.

XIV. Quoties vim medicamenti aliquius ad cerebrum exacte descendere velis, ad coronalem suturam in syncipite id applicabis. Tenuissimum enim & rarissimum eo in loco est cranium. Omnes itaque infusiones ad hanc maxime partem applicantur. Galen. lib. 13. cap. 12. meth. medend.

XV. Iecinori inflammatione laboranti, non debet imponi aut epithema aut fomentum aut cataplasma actu frigidum. Galen. lib. 13. cap. 12. meth. medend.

XVI. Iecinori & lieni inflammatis, quæ foris applicantur remedia, ea mixtæ facultatis, id est, astringentia simul &

8 FRAN. IOELIS  
taxantia esse debet. Gal. lib. 13. cap. 12. meth.  
medend.

XVII. Gibba hepatis per renes diureticis remedii expurgari debet, cava vero eius pars per inferiorem ventrem. At lien nunquam per renes, sed per intestina evacuatur. Galen. lib. 13. cap. 6. meth.  
medend.

XVIII. Gula quæ propriæ stomachus vocatur, & spinæ cervici adiacet, ac per collum & pectus in ventriculum deorsum protenditur, extrema remedia, veluti sunt cataplasma & emplastra, super spinam cervicis imponi debent, & non parti anteriori, quemadmodum etiam ubi orificio ventriculi est inflammatum. Galen. lib. 13. cap. 16. meth.  
medend.

XIX. In quotidiana febri semper afficitur orificio ventriculi, in tertiana riecur, & in quartana lien, & ut plurimum ex eorum viscerum affectione generantur febres. Galen. lib. 1. cap. 5. de Art. curat. ad Glau.

X X. De venæ sectione in phlegmone oris & palati, item iecinoris, pectoris & pulmonis atque cordis, semper interna cubiti vena est secanda: in angina autem primum interna cubiti, deinde hæ quæ sub lingua habentur. Qui vero circa occiput laborant, primo cubiti,

METHOD. MEDENDI. 749  
ti, deinde frontis est incidenda. Renibus vero, pudendo, vesicæ & utero affectis eam incidimus, quæ est sub directo loci affecti.

XXI. In iecinoris inflammatione dextræ manus, in lienis, sinistræ vena cubiti est aperienda. Galen. lib. 13. cap. 11. meth. medend.

XXII. Fluxionis motum semper ad contrarium trahere oportet. Partibus itaque superioribus inflammatis, per inferiora sanguis est educendus, & contra inferioribus inflammatis, per superiora. Galen. lib. 2. cap. 2. de arte curativa ad Glaucorum.

XXIII. De Cucurbitulis. Cucurbitulæ aut foras evocant aut eximunt, eruuntque aut provocant, aut avertunt: Ad mammas affixæ sanguinem ex utero fluentem repellunt: præcordiis applicatae sanguinis fluxum è naribus erumpentem cohibent: evocant autem & proplicant menses pubi & inguini affixa: occipiiti applicatae oculorum fluxiones avertunt. Vacuari tamen prius corpora quibus applicantur oportet. Alias enim repellent partem, cui applicantur, pravis humoribus. Galenus lib. 13. cap. 18. meth. medend.

750 FRAN. IOELIS METON. MED.

X X I V . De purgatione humorum.  
Flavæ quidem bilis evacuatio est facili-  
lis : pituitæ vero seu nigræ bilis diffi-  
cilioꝝ . quo magis purgantis medica-  
menti ope indigent . Galen lib. 12 . cap. 17 .  
meth. medend.

*Francisci Ioëlis de generali me-  
thodo medendi, & remediis  
usitatoribus libri*

F I N I S.

INDEX